

# The Electronic Manipulus florum

## www.manipulusflorum.com

### Prelacio cg cum fonte primo

Quapropter

et sancte debet uiuere propter exemplum,  
et docere propter sue administracionis  
officium. Certus nichil ei sua iusticia  
suffragetur de cuius manu anima  
pereuntis exigitur. Quando quicumque  
alius perit quem nulla docendi  
necessitas manet, solus  
penas sui sceleris dabit. Ille autem cui  
dispensacio uerbi commissa est, eciam si  
sancte uiuat, et tamen perdite uiuentes  
arguere aut erubescat aut metuat cum  
omnibus qui eo tacente perierint perit;  
et quid ei proderit non puniri suo qui  
puniendus est alieno peccato?

Prosper ibidem (de uita contemplatiua  
libro I.).

Quapropter

sciens quod si quibuslibet divitibus ac  
potentibus parcat, male viventibus autem  
faveat, eos perdat simul et pereat;  
et sancte vivere debet propter exemplum,  
et docere propter suae administrationis  
officium: certus quod ei nihil sua justitia  
suffragetur, de cuius manu anima  
pereuntis exigitur. Quando quicunque  
alius perierit, quem nulla docendi  
necessitas manet, solus  
poenas sceleris sui dabit; ille autem cui  
dispensatio verbi commissa est, etiamsi  
sancte vivat, et tamen perdite viventes  
arguere aut erubescat, aut metuat, cum  
omnibus, qui eo tacente, perierint, perit.  
Et quid ei proderit non puniri suo, qui  
puniendus est alieno peccato?

Iulianus Pomerius, *De uita  
contemplatiua*, 1, 20, 2 (PL 59,  
col.434B-C).